


3/2000

KALENDIS SEPTEMBRIBVS MM



TOMVS 23

FASC. 134

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann publicity** est, editur:

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr. 27.--
In ceteris Europae terris	sFr. 32.--
In terris trans marisa sitis	US\$ 30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann, lic.phil.I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:
RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann publicity**,
Rosenweg 7, CH-8353 Elgg
INTERNET: www.aeschlicity.ch/rumor_varius
E-mail: info@aeschlicity.ch

Institutum pecuniarium:
UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETATE LATINA TVRICENSI, bei **aeschlimann publicity** herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 300

Abonnementspreise (jährlich):

Schweiz	sFr. 27.--
Europa	sFr. 32.--
Übersee	US\$ 30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann, lic.phil.I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:
Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:


RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann publicity**,
Rosenweg 7, CH-8353 Elgg
INTERNET: www.aeschlicity.ch/rumor_varius
E-mail: info@aeschlicity.ch

Bankverbindung:
UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Nuper multis in terris pellicula cinematographica titutulo 'Gladiator' illa munera gladiatoria crudelia et horribilia, quae olim Romae edebantur et in quibus homines contra homines vel bestias pugnabant, quasi resurrexerunt. Sed etiam iis, quibus illae pugnae sanguineae nequaquam placent, iucundum et mirum est videre, quomodo in hac pellicula arte computatrorum adhibita Colosseum Romanum imaginibus restitutum sit, ut crederes Colosseum verum cum spectatoribus frequentibus aspicere.




Arena Aventici in Helvetia

Nostra autem aetate tempore aestivo in illis amphitheatris, ubi olim gladiatores feroces de vita morteque pugnauerunt, spectacula multo placidiora, amabiliora incruentioraque exhibentur: Dramata musica ibi nunc spectari possunt. Non modo in gradibus, ut antea, sed etiam in arena spectatores nostra aetate sedent et vident, quae in scaena, quae in margine arenae exstructa est, aguntur.

Clarissima Veronae arena est, qua hoc anno exempli gratia dramata musica *Iosephi (Giuseppe) Verdi*, illius cele-

berrimi componistae Italici, dantur: *Aïda* (quae omni anno producitur), praeterea *Nabucco*, *La forza del destino*, *La Traviata*; item *Requiem* eiusdem componistae audiri poterit.

In Helvetia quoque dramata musica exhibentur: Aventici in arena Romana hoc anno *Aida Iosephi (Giuseppe) Verdi* spectari et audiri potest. Frequentes homines Aventicum conveniunt; plerumque omnes tesserae longe ante quam dramatis musici actiones incipiunt venditae sunt. Etiam Vindonissae in amphitheatro Romano hoc anno primum dramata



Frequentes homines ad dramata musica visenda Aventicum conveniunt.

musica exhibere in animo habebant, sed dolendum est, quod pecunia deficiente id fieri non potuit.


Romae autem nuper in Colosseo primum ex 1500 annis denuo spectaculum editum est: In scaena recens exstructa a Theatro Nationali Graeco tragoedia celeberrima Sophoclis poetae titulo 'Oedipus rex' producta est, 'Antigone' et 'Oedipus Coloneus' eiusdem poetae sequentur. In amphitheatro, ubi olim 75'000 fere homines spectacula videbant, nunc 700 admissi sunt.

Valete!

Daniel Weissmann

De mundi theatro Einsidliae (Einsiedeln)

Relationis pars prima



Pater Kassian ETTER

Num veniunt homines ut ipsi spectentur? Minime. Spectatum veniunt. Quo in theatro ex eo, ubi sedes, loco non scaenam talem admodum adspicis, qualis est; nam, cum ita ornamenta pigmentaque disposita sint, ut e longinquo spectantibus iucundam offerant speciem, e conspectu nostro rotae illae ac libramenta, quibus omnia moventur, subducta sunt. Itaque, quomodo omnia illa cieantur ut perspicias, minime tu quidem laboras. Scenae vero aversam partem si invises ac pondera numerabis et rotas et rudentes, per quos et ostenduntur volatus et impelluntur peg-

mata; ad illa movenda si considerabis, quam multi homines connitantur, quantis lacertorum viribus, quanta nervorum contentione, tum: "Hisne", inquires, "rationibus et artificiis spectaculum illud constat, in quo adeo sunt omnia pulchra veraque, ut motu suo ac sponte sua se movere videantur?" Et exclamabis: "Quanto labore, quanta vi fiunt illa!" Forsitan aliquis media in cavea latens machinator solus ex omnibus de volatu quodam quaerat, quem inusitatum existimaverit, quaque ratione is effectus sit dispicere vehementer studeat. Hic machinator non te quidem fallit quam a philosophis non discrepet. Hoc tamen difficultas, quod ad philosophos attinet, augetur, quod earum machinarum, quas Natura nobis ante oculos proponit, sollertissime funes occultati sunt, atque adeo, ut mortalibus per longum tempus, unde moveretur Universum, ne conicere quidem licuerit.

Res aliter se habet, si humanam naturam ab homine intellegere cupimus. Itaque gratias agimus maximas Patri Kassian ETTER, qui tam benigne quaestionibus a Stella GITTA propositis respondit.

Rumor Varius: Reverende Pater Kassian ETTER, cum personam *Calderón*, i.e. auctorem ipsum, agas, narra nobis, quaeso, argumentum fabulae a Thoma Hürlimann nove conscriptae!

Pater Kassian
ETTER

Fabula, quam Thomas Hürlimann composuit, in septies quartam partem horae vel septem scaenas divisa est. In prima scaena *Calderón* sex figuras proponit, quae sunt: *El rey*, rex – *la Hermosura*, pulchritudo, – *El Rico*, dives – *El Labrador*, agricola – *la Discreción*, discretio – *la Miseria*, misera. Septima quoque figura in scaena est, cui autem vitae usus non datur.

Figurae sunt nostri temporis. *El Rey* versatur in re publica, *la Discreción* medicinam exercet, *la Miseria* puella domo profuga est. Sex figurae ver, aetatem, autumnum, hiemem vitae experiuntur. Et felices et infelices sunt. In angustiis iterum iterumque quaestionem ponunt: "Quid hoc sibi vult?"

In quarta scaena fabula ad pestilentiae tempora redit. Hominibus, qui morbo laborant, interrogantibus: "Cur talia pati debemus?" non respondetur. In fines huius scaenae crux erigitur. Filius Dei patrem caelestem interrogat: "Cur pati debeo?" Cum hominibus dolorem ac quaestionem: "Quid hoc sibi vult?" sustentat.

In septima scaena omnes momentum huius vitae ex auctore quaerunt. Sed ne ille quidem respondere potest. In novo theatro mundi quaestiones ponuntur. Responsa autem ipse spectator invenire debet.

Duae figure allegoricae spectaculum comitantur: Mundus et Mors. Mundus sub specie mulieris id, quod fit, dictis facitis, nonnumquam asperis, interpretatur. Mors semper adest.

R.V.: Quae sunt partes et actores? Et quam multi? Suntne incolae Einsidlienses?

P.K.E.: In hac fabula 250 fere histriones agunt. Omnes e civitate Einsidliensi vel locis finitimis sunt. Minimus natu 8 annos,

maxima natu 77 annos complevit.

R.V.: lam diu fabulam Calderonis de mundi theatro primum a *Joseph von Eichendorff* retractatam in civitate Einsidlia agere solent incolae, nisi fallor. Cur hac in civitate? Cur haec nova fabula anno MM?

P.K.E.: Einsidliae consuetudo ludos committendi perantiqua est. lam media aetate mysteria agebantur. Spatium ante monasterium situm ad tales ludos aptissimum est. Ex anno 1924 Calderonis theatrum mundi, quod animum sensumque barocum exprimit, agitur. Thomas Hürlimann spectaculum aetati nostrae accommodare iussus est.

R.V.: "Quis me hoc in mundo deposuerit nescio", Pascal ait, "nec quid sit mundus, nec quis egomet." Num mundi theatrum Einsidliense sententia tua talibus interrogatibus respondet?

P.K.E.: Novum theatrum mundi quaestionem Pascalis ponit, ad eam autem non respondet.

R.V.: Quomodo in personam Calderonis intrasti?

P.K.E.: Uxor Thomae Hürlimann anno praeterito me rogavit, vellemne partes agere. Personam Calderonis agere pulcherrimum est.

R.V.: Quantum temporis necessarium fuit ad spectaculum parandum: scaenae repetendae, et cetera?

P.K.E.: Ad spectaculum parandum scaenasque repetendas spatium quattuor mensium necessarium fuit.

Stella Gitta

(Relationis pars altera in proximo libello sequetur)

Ad lectorem letricemque: Si plus scire vis et spectatum ire cupis, vide interretialem paginam domesticam <http://www.welttheater.ch>
Numeri telephonicis sunt: 055 / 418 90 80 055 / 422 16 92

Ad Christophorum de Beaumont talia scripsi:

"Iuventutem felicibus in tenebris transegi.
Quaestiuncula quaedam academica, cum mentem
mihi praeter voluntatem agitasset, in eam me
coniecit artem, cui natura non aptus eram; in
qua colenda, cum praeter spem laudatus essem,
illecebras nonnullas inveni, quibus pellectus sum".



Quis sum?

Solutiones rectae tibi litteras ostendunt, quae scriptoris praenomen
et nomen restituunt in tabula infra.

1. In oppido Torquay nata, duodenonaginta fabulas criminales
conscripsit. Creavit heroem
A) Iulium Maigret S) Hercules Poirot V) Sherlock Holmes
2. Opera sua praecipua sunt: Systema naturae, Genera plantarum et
Philosophia botanica
B) Carolus du Cange O) C. Plinius Secundus C) Carolus Linnaeus
3. Anno MCMLXXII^o in secessionem recedere statuit Georgius
Simenon. Lausonii condidit et in memoriam filiae scripsit Librum
O) Mariae-Jo R) Mariae-Helenae T) Sophiae
4. Aliciae mirabiles peripetiae scripsit mathematicum Ludovicum
Carroll, cui verum nomen erat
I) Edgardus Wallace O) Carolus Dodgson M) Horatius Flint
5. (MCCCLXXX-MCDLIX) Primus historicus Lusitanus, sociologus,
oconomista et chartarius qui societatem et nobilitatem mente
lucida inspicit.
D) Aegidius Vincente B) Feimao Lopes E) Bernardinus Ribeiro
6. "Hergé" est
F) deformatio nominis "Hériger", quam confirmat nomen monachi e
grege cognationis delineatoris
L) abbreviatio Hermanni Genzet, verum nomen eius
E) cognomen e litteris capitaneis R. G. (Georgius Remi) excogitatum
7. Inter alia "Facilioris grammaticae praecepta", "Ilanua linguarum
reserata" et "Linguarum methodus novissima" scripsit. Sive
persecutionibus coactus, sive propter studia, multa itinera fecit
Comenius. Et viros sui temporis illustres convenit, inter quos
I) Paulum Orosium G) Augustum Comte E) Renatum Cartesium
8. Ludouicus Vaz de Camões, magnus poeta Lusitanus composuit opus
"Os Lusíadas",
H) epicum carmen in quo praeteritum gloriosum Lusitaniae descripsit
S) textum poeticum de astrologia
I) amatorium carmen in quo os Lusíadae, feminae amatae, descripsit
9. In vico Westport natus, Franciscum Bacon, Renatum Cartesium,
Petrum Gassendum convenit. In Italia Galileum quoque, quem
magnopere admirabatur, adiit et de facie cognovit. Praecipua
opera sua sunt: "Elementa philosophiae" et "Leviathan sive De
materia, forma, et potestate civitatis ecclesiasticae et civilis".
L) Thomas Aquinas I) Thomas Hobbes A) Thomas Morus
10. Arturus C. Clarke, physicus et mathematicus, quinquaginta libros
scripsit, quae ad scientiam fictam pertinent. Notissimum opus:
"2001, Odyssea Spatii". Multa praemia recepit scriptor. Quod
praemium non reportavit ? Pretium...
V) Julius Verne D) Scientiae Fictae ARAS O) Kalinga
11. Quomodo res publicae futurae instituendae essent haud raro
quaesivit ille. Cum viginti sex annos natus fuit, scriptor diur-
narius ob rationes politicas ex Rhenania digressus exul Lutetiae
Parisiorum vixit. Putabat laboris divisionem praecipuam esse
causam status cuiusdam humani, quem alienationem nuncupavit.
R) Lorentius von Stein A) Carolus Marx I) Maximilianus Weber
12. Fabulam utopicam ad annum futurum 1984 spectantem scripsit
S) Georgius Orwell V) Orson Welles L) Robertus Owen
13. "Utopiae" auctor. Amicitia erat coniunctus cum Erasmo
Roterodamo. Latine quoque conscripsit librum c. t. est
B) De contractu sociali H) De spiritu legum V) Epigrammata

14. Iohannes Cocteau a pueritia studio theatri et poesis captus est. Bellum accidit et fabula cum Iohanne Marais in persona praecipua adhuc agitur, sed quaeque repraesentatio in seditionem degenerat et iussu Germanorum prohibetur fabula c. t. est

E) Liberi Terribiles S) Parentes Terribiles A) Monstra Sacra

15. Nicolaus Machiavelli, Florentiae natus, secretarius rei publicae fuit. Multas legationes suscepit. Nonnullorum operum scriptor. Unum tamen non composuit, i. e.

D) De principe I) Disputationes de prima decade Titi Livii
F) De arte bellica O) De natura Gallorum A) De civitate
S) De rebus Pistoriensibus E) De historia Florentina

16. Praecipua opera sua sunt: Murus, Muscae, Manus sordidae, etc. Quo anno natus est scriptor qui doctrinam existentialis modo optimo illustrat, e qua philosophia homo agendo se ipsum determinat? Anno...

N) MCMV^o I) MCMLX^o E) MCMLXX^o H) MCMXLV^o

17. Ubi scripsit Ernestus Hemingway opum, c. t. "Nives Killimandzarii" ?

L) Oak Park A) Lutetiae Parisiorum R) in civitate Key West

18. Quis est, qui nesciat carmen illud, quod inscribitur "de rerum natura"? Hoc in carmine scriptor omnem mundum ex corporibus minimis constructum esse dicit.

C) Apuleius Madaurensis O) T. Lucretius Carus N) Hyginus

19. Bernae in Helvetia natus. Qui vir praecocis intelligentiae atque encyclopaediae disciplinae, vir etiam litterarum amantissimus, "Opuscula pathologica" anno MDCCLXVIII^o edidit, id est paucis annis ante mortem eius.

P) Bertholdus Hallerus I) Hermannus Hallerus A) Albertus Hallerus

20. Qui philosophiae consolationis libros quinque scripsit. Singulariter refert se collocutum esse cum Philosophia, cum ipse in vinculis esset. Discipulus enim Philosophiae credit mundi gubernationem non casuum temeritati, sed divinae rationi subditam esse.

I) Anicius Manlius Severinus Beothius M) L. Annaeus Seneca
S) Carolus Augustus Sainte-Beuve

21. Martinus Luther, Huldrych Zwingli, Iohannes Calvinus: inter eos christianos, qui ab ecclesia catholica defecerunt, schisma exortum est. Iohannes Calvinus, qui Genavae floruit, quamvis se semper discipulum Lutheri esse confessus esset, doctrinam de eucharistia et de praedestinatione novam et Lutheranis scandalosam protulit in praecipuo opere suo c. t. est

S) Institutio christianae religionis E) De vita christiana
V) De institutione feminae christianae

22. Anno MDCCIV^o praefectus navis Britannicae nautam, qui illum litibus lacessiverat, in remotam vastamque insulam Oceani Pacifici ad Chiliam pertinens iussit exponi. Daniel Defoe librum de viri illius casibus edidit. Auctor, a vero discedens, plurima mutavit: heroem Robinsonium Crusoe appellavit. Quod est nomen ipsum viri expositi ?

E) Robertus Scott N) Alexander Selkirk R) Jack Morgan

23. Auctor rerum gestarum Asterigis est

V) Albertus Uderzo X) L. Martinus L) Enzo Rocco

PRAENOMEN

QVAESTIO	20	3	8	11	22	16	7	1
SOLUTIO								
QVAESTIO	9	15	2	18	5	23	12	
SOLUTIO						V		

NOMEN

QVAESTIO	17	4	10	21	14	6	19	13
SOLUTIO								

Stella GITTA

56	arbor (Dat.)	50	non trans
57	antiquis temporibus in Latio vivebant	52	liquor
59	privata	54	mitis (f.)
60	incolae primi Italiae	55	non ignorat
61	canicula	57	fictile esse potest
62	servorum dux praeclarus (Gen.)	58	sic

Solutio ludi cochleati

a Stella Gitta propositi

Sic habita, ut potius laudetur dominus quam domus.

Solutio ludi „proverbaliter“

a Stella Gitta propositi

1. ver	it(er - er)	as	= veritas
2. ava	rus		= avarus
3. vir	tus		= virtus
4. ve	ne	num	= venenum
5. for	tu	na(na)	= fortuna
6. tem(o - o)		pus	= tempus
7. dis	si	mula	re =dissimulare
8. i	ra		= ira

De oppido vinoque nominis Barbaresco


Multa oppida, quae de vino magnam curam agunt, in illa regione antiquis temporibus a Taurinis inculta hodieque Pedemontium (Piemonte) nominata sita sunt. In numero eorum *Barbaresco* oppidulum est. Plerique incolarum operam in vinum id impendunt, quod nomen suum ab oppido traxit.

Barbaresco ex uvis nominis *Nebiolo* paritur. Post vindemiam duos annos in cellario ponitur. Vineae in collibus amoenis sitae iam apud veteres

Romanos multum valebant. Tabula quaedam demonstrat in oppido hoc antiquis temporibus vini mercaturam factam esse.

Barbaresco est vinum salubre. Aegritudinem abstergere et animum recifere potest. Medio in oppido in pristina aede sacra vini museum (Italice: *Enoteca regionale*) visere potestis. Eodem loco vinum bonum venit. Ii, qui optime epulari cupiunt, in oppidi cauponis benigne accipiuntur. Botuli olaque optime parata, caseus succosus, nomine *Toma*, cibique farinarii domi cauponis fabricati convivas delectare possunt.

Barbara Maier



DE THILO CUSTODE FERRIVIAE

Studiolum novellisticum anno 1887 a Gerhart HAUPTMANN Theodisce scriptum ("Bahnwärter Thiel") et anno 1997 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversum

Narrationis pars tertia

III

Thilus, quamvis iter in solitudinem silvestrem fecisset quam festinantissime, tamen quindecim minutis post tempus solitum advenit locum sibi destinatum. Custos secundarius, vir propter aeris temperiem celeriter mutata (qualem in officio gerendo evitare non poterat) tabe affectus, qui cum Thilo per vices operabatur, stetit iam paratus ad proficiscendum in areola arenosa casulae, cuius numerus magnus niger albo inscriptus late lucebat per stipites arborum.

Viri manibus complexis, nonnullis rebus breviter enuntiatis disiuncti sunt. Unus iniit capannam, alter viam transversam, illa via continuata usus, qua Thilus venerat.

Audita est alterius tussis convulsiva primo in propinquo, deinde e longinquo per stipites, tum obmutuit hic unicus sonus humanus in vasta solitudine. Thilus, ut semper, sic hodie quoque coepit angustam structuram lapideam quadrangulatam capannae custodiariae suo more parare ad usum nocturnum. Quod fecit automati instar, cum animus suus rebus occupatus esset, quas expertus erat horis praeteritis. Cenam suam deposuit in mensa angusta pigmento fusco illita. Haec stabat iuxta unam ex duabus fenestris lateralibus scissurarum forma instructis, e quibus ferrivia commode poterat aspectari. Deinde in parva fornacula ferruginea ignem accendit eidemque imposuit ollam aqua frigida completam. Instrumentis, vatillo, pala, retinaculo et ceteris aliquatenus ordinatis coepit purgare suam lanternam, quam simul complevit petroleo recenti.

His confectis campana ternis sonis stridulis repetitis nuntiatum est tramen Bratislava emissum esse e statione proxima. Nullo modo festinans Thilus per moram quandam remansit in capanna, tandem vexillo peraque embolorum manui impositis lente foras iit et meatu inertis et stridulo super angustam semitam arenosam se promovit, versus transitum ferriviae viginti fere gradibus remotum. Cancelli a Thilo claudi atque aperiri solebant ante et post omne tramen praetercurrens, quamvis via raro tantum ab aliquo transversaretur.

Labore nunc finito iuxta nigro-album contum cancellorum tramen expectavit.

Ferrivia utrimque in directum exsecta est infinita foreste viridi; utroque latere moles acicularum quasi regestae sunt intra se angiportum relinquentes, qui completus est aggere ferriviae castaneo et silicibus consperso. Orbitae ei impositae universae similes erant ingenti maculae retiariae,

cuius fila angusta in meridie et septentrione extremo unum in punctum horizontis contracta sunt.

Vento exorto lenes undae praeter marginem silvae in longinquum depulsae sunt. E contis telegraphicis iuxta ferriviam positae editae sunt concentus bombisoni. In filis metallicis, quae tamquam in tela araneae giganteae ab uno conto ad alium nexa erant, densis ordinibus sedebant catervae avium zinzilulantium quasi agglutinatae essent. Picus ridens Thili caput transvolavit neque semel quidem respexit.

Sole, qui modo sub margine ingentium nubium dependebat in mare cacuminum atro-viride delapsurus, silvae offusa sunt fluenta purpurea. Stipites pinuum ultra aggerem siti quasi intra se accensi tamquam ferrum ardore candebant.

Etiam orbitae excanduerunt igneis serpentibus similes, sed eadem primae sunt extinctae; et nunc ardor lente humo sursum ascendit, primo scapos pinuum, deinde maximam partem in frigido lumine lurido relinquens, denique extremam tantum marginem cacuminum nitore rubido stringens. Quod spectaculum excelsum agebatur tacite atque sollemniter. Custos autem adhuc stabat immotus ad cancellos. Tandem gradu prodiit. Punctum obscurum in horizonte, ibi, ubi orbitae inter se convenerunt, agebatur. Quamvis a secunda ad secundam crescens, hoc punctum tamen videbatur uno loco constare. Subito commotus se appropinquavit. Orbitae vibrantes et bombizantes commotae sunt, clangore rhythmico, strepitu fusco, qui etiam etiamque augescens denique haud absimilis fuit ungulis equorum accurrentis agminis procellosi quatientibus.

E longinquo carptim per aera anhelitus atque fremitus intumescentes ferebantur. Tum subito silentium diruptum est. Stridore strepituque furioso spatium completum est, orbitae sunt incurvatae, tremuit tellus - aere fortiter premente nubes pulveris, vaporis, nidoris coorta - praetercurrerat nigrum monstrum anhelans. Soni ut aucti erant, ita paulatim et gradatim sunt restincti. Nidor dilapsus est. Tramen ad punctum redactum procul evanuit, ut angulus silvae iterum tegetetur vetere sancto silentio pristino.

"Minnam" custos susurravit tamquam e somnio excitatus et rediit ad capannam suam. Tenui cafea cocta consedit durisque oculis interdum sorbillans spectabat in scidam chartae actorum diurnorum sordidam, quam alicubi iuxta ferriviam invenerat.

Paulatim et gradatim mirum in modum sollicitabatur.

Hoc putavit eo effectum esse, quod cellula caleret tamquam furnus, rap-
timque aperuit vestem bracasque, ut commodius se haberet. Cum hoc
nihil prodesset, surrexit, pala ex angulo sumpta se contulit ad agellum sibi
donatum.

Qui agellus fuit lacinia harenae angusta, malis herbis luxuriosis obsita.
Rami autem ambarum arbuscularum pomiferarum agello insitarum ob-
tecti erant iuvenilibus floribus decorissimis tamquam spuma nivea.

Thili animum subierunt tranquillitas placidaque voluptas.

'Age laboremus.'

Pala stridule incisa est humo: glabrae umidae sono fusco sunt relapsae et
friatae. Aliquamdiu fodit sine intermissione. Tum subito constitit, cum
voce magna et intelligibili, severe caput huc illuc agitans: "*Non*" inquit
"*non, hoc ne fiat.*" Iterumque: "*Non, non, hoc ne fiat.*"

Subito ei in mentem venerat Lenam nunc saepius illuc venturam esse, ut
agrum coleret, quo modus vivendi sibi solitus graviter perturbaretur.
Itaque gaudium agri accepti repente mutatum est in taedium. Propere,
quasi quid iniustum facturus fuisset, palam ex humo ereptam reportavit
ad capannam. Ibi Thilus iterum coepit muginari stupore oppressus. Vix
scivit, quare, sed quo magis conabatur sustinere, quod Lena apud se erat
futura per dies integros, eo minus hoc poterat. Sibi videbatur defenden-
dum esse aliquid, aliquis attacturus esse rem sibi sanctissimam, ut invitus
tenderet musculos suos leviter convulsos, cum e labiis eius excuteretur
risus brevis petulansque. Quo risu reddito territus oculos sustulit, ut
animus averteretur a re considerata. Quam repertam iterum iterumque
perscrutabatur.

Nicolaus Gross
Germanus Coreanensis

(Narrationis pars quarta in proximo libello sequetur!)

Vocabularium breve verborum rariorum recentiorumve
in libello 1/2000 RUMORIS VARII publicatum est!

De ecclesiae catholicae annis sanctis

Relationis pars tertia

Anno 1775°: Iubilaeum brevissimum

Quod papa nuper defunctus erat, novus papa creandus fuit, priusquam
annus sanctus aperiri posset. Itaque Pius papa VI. Iubilaeum modo mense
Februario aperuit. Multa aedificia publica, imprimis valetudinaria, con-
structa sunt. Hoc Iubilaeum etiam memorabile est, quod multi episcopi
patriarchaeque ritus orientalis Romam confluerant.

Anno 1800°: Iubilaeum non celebratur

Copiae Francogallicae et revolutionem antiecclesiasticam exportandi et
totam Europam subigendi cupidae Romam expugnaverant et Pium VI um
in exilium fugaverant. Ibi ille anno 1799° defunctus est. Cuius successor,
Pius papa VII., etiam non Romae erat. Itaque Iubilaeum celebrari non
potuit.

Anno 1825°: Saeculi undevicesimi Iubilaeum unicum

Ut Leo papa XII. Iubilaeum indixerat, ita magna cura ecclesiam regentes
in ipsum Iubilaeum prospiciebant. Nam aetate restorationis, quae dici-
tur, ubique coniuratores et speculatores esse potentissimi putabant.
Itaque peregrinos in Italiam iter facere non libenter tolerabant, quod
timebant, ne inter peregrinatores immixti essent homines scelesti. At-
tamen Leo papa XII. anno sancto carere volebat. Indulgentias eis praebuit
novas, qui iconam veterrimam saeculo septimo pictam et in ecclesia
sanctae Mariae trans Tiberim sita conservatam venerarentur.

Anno 1850°: Iubilaeum propter papam absentem non celebratur

Pius papa IX. modo mense Aprili ex exilio Romam rediit. In exilium ex-
actum erat, quod copiae revolutioariae Italiam sub regimine laicistico
uniendi cupidae Romam ceperant. Mense autem Aprili annus sanctus
aperiri non iam potuit.

Anno 1875°: Porta sancta iterum clausa manet

Roma interim caput Italiae unitae facta est. Papa potestatem Romae et civitatis ecclesiasticae non iam habebat, sed tamen Romae manere et "captivus regis Italici" esse quam fugare maluit. Condicionibus vero malis iubilaeum celebrari non posse Pius IX. dixit. Itaque tantum "iubilaeulum" una cum sacerdotibus Romanis celebravit, sed portam sanctam non aperuit.

Anno 1900°: Reconciliatio indicatur

Tandem annus sanctus denuo celebrari potuit. Leo papa XIII. peregrinos Romam invitavit neque impediatur a regimine Italico, sed immo adiuvabatur. Quod epistula encyclica, quae "Rerum novarum" inscribitur, tractaverat, quaestionem enim sociale, hoc iubilaeo hominibus demonstrare voluit: ecclesiam catholicam adesse et problemata aetatis non neglegere. Romam peregrinatores ex omnibus mundi partibus conveniebant.

Anno 1925°: Annus sanctus pacis et reconciliationis

Post bellum mundanum horribile pax ab omnibus desiderabatur. Sed etiam inter ecclesiam et civitatem Italicam reconciliatio longius processit. Pius papa XI. missionem praecipue propagans primos episcopos Sinenses consecravit et sanctam Theresiam minorem canonizavit.

Anno 1933°: Iubilaeum extraordinarium redemptionis

Obstupentibus omnibus Pius papa XI. iam anno 1932° annum sanctum extraordinarium in honorem redemptionis hominum, quae mille nongentis annis ante Iesu Christo moriente et resurgente facta erat, indixit. Signa iubilaei alia erant ac annis sanctis praeteritis: Porta sancta non die nativitatis Domini patefacta est, sed die Dominica passionis (id factum est, quod iubilaeum, ut supra diximus, non in honorem incarnationis, sed passionis et mortis Domini celebratum est!). Hoc anno sancto papae nonnulla extra ecclesiam sancti Petri facere licuit.


Martin Meier

1) indulgentiae,-arum (pl.t.): Ablass

(Relationis pars quarta in proximo libello sequetur!)

Leonardus da Vinci quoque aquam illam gustavit

Initio saeculi vicesimi Margherita, vidua Umberti I, regis Italiae, cum magno comitatu ad locum nominis *San Pellegrino* iter fecit, aquam gustaret. Aqua e tribus fontibus bulliens paulo post locum nominis *San Pellegrino Terme* in regione septentrionali urbis Bergami (Bergamo) situm in honorem adduxit. Margherita, quae etiam pizzae illi nomen dederat, saepe ad aquas se conferebat. Permulti nobiles Europaei eam sequebantur. Etiam aetate nostra in ripa dextra *Brembo* fluvii maximum deversorium architecturae splendidae situm est. Hodie autem fenestrae aedificii cavatae sunt, portae sunt fractae, muri hederosi. Horti in silvam densam mutabuntur. Federicus Fellini, ille scaenarum dispositor, aedificiis vetustate dilabentibus in quadam pellicula cinematographica usus est.



Aqua autem semper fluit. Quotannis quadraginta milia lagoenarum, quae aquae plenae sunt, in mensis deversorium clarorum videri possunt.

Constat iam tertio decimo saeculo aquam illam salubrem putatam esse. Leonardus da Vinci quoque eam bibisse dicitur. Vis medendi aquae illius praecipue in morbis renum, stomachi, intestinorum probata est. Homines negotia gerentes magnam pecuniam ex aqua conficiunt.

Non modo aegroti, sed etiam ii, qui vestigia pulchra temporis praeteriti cognoscere cupiunt, libenter ad aquas loci huius se conferunt.

Barbara Maier



- Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS VARIVS für mich selber)

- Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenk-abonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren


RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Rosenweg 7
CH - 8353 Elgg

PP/Journal

4702 Oensingen

3/2000

KALENDIS SEPTEMBRIBVS MM



TOMVS 23

FASC. 134